DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOSOPHICO-MEDICA
DE
INFLUXU CORPORIS
IN ANIMÆ EFFICIENTIAM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRÆSIDIS ET DIRECTORIS,

nec non

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

DOCTORIS MEDICINAE et CHIRURGIAE LAUREA

RITE OBTINENDA,

in celeberrima

C. R. ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Gabriel Mairinger,

Transylvano-Siculus Háromszékiensis.

Medicus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
die . mensis Novembris 1841.

VINDOBONAE.

Typis Caroli Ueberreuter.

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque fuit.

L. 3. de Ponto, Eleg. 9.

PLURIMUM REVERENDO

DOMINO DOMINO

ANTONIO WAGNER,

EMERITO PROFESSORI

GYMNASII REGII CIBINIENSIS, NUNC CAES. REGII NOSOCOMII UNIVERSALIS VIENNENSIS CAPELLANO CURATO

VIRO

PIETATE IN DEUM FIDELITATE IN REGEM

AC

MERITIS IN PATRIAM

INSIGNI

ERUDITIONE MANSUETUDINE

HUMANITATE AC LIBERALITATE

PRAECLARO

nec non

PROFESSORI QUONDAM SUO ET MODERATORI

DILECTISSIMO AESTIMATISSIMO

PRIMOS HOS LABORUM MEDICORUM FRUCTUS

in

PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS CULTUSQUE PERENNIS

MONUMENTUM

PIA CUM DEVOTIONE

dedicat

devinctissimus

Auctor.

Prolegomena.

Lex jubet antiquissima, ut assiduae operae, quam quinquennio studiorum in Caesareo-Regia Academia Josephina Medicinae navavi, specimen publici faciam juris. Lubens adripio pennam, ut profitear, omnes, quae mihi sunt, vires scientiae dicatas, ratus — me aliquantulum intellexisse, omnium institutionum sacrarum et profanarum, quibus mortales uti necessitas aut flagitium cogit, difficillimam esse medicam, quae incassum almae matris velum radiis caducae mentis, in grandaevae omnigenaeque naturae sinu oberrantis tollere adnititur: ignis fatuus in caligine noctis.

Praestiti hisce pagellis, quod potui, nemo ultra posse tenetur: nec ullus praestolabitur, ju-

venem virilis maturitatis specimina reddentem, qui aequus perpenderit, hancce tractatiunculam ad primos pertinere conatus litterarios, quos medicus tiro non ex pruritu scribendi, sed legi academicae moriger obtemperans in lucem edidit.

Introductio.

§. 1.

Creator rerum, Deus, tales naturae leges contexit, ut nobilissimi generis humani quodvis individuum utero matris principio reclusum ex tenui germine in nobilem efflorescat hominem. Si principium vitae in homine contemplamur internum absolutum, quod a somaticis nec minime dependet circumstantiis, vitam consideramus mere psychicam; psychico-somaticam vero, dum hocce principium in mutuo cum corpore connexu nostrae subjicimus disquisitioni. Homo igitur duobus, scilicet corpore et anima centris compositus est. — Momento procreationis, anima, vis principalis, Divinitatis effluxus, per Universum undulans libera et immortalis corporis humani figuram induere coepit, quae circa naturae typum universalem corpora disponentem nascitur, ut diversos vitae suae cyclos ad interitum usque percurrat, suae divae originis conscius evadat.

§. 2.

Vinculum corporis et animae tale quale est, in homine absolutum est. Quodvis centrum alterius agit vitae ministrum, ut nec corpus influxu animae, nec anima influxu corporis expers esse potest. — Ita quum divergunt hae oeconomiae animalis facultates cardinales, insimul in communem confluunt

actionem, ut unum alterius sit causa et effectus, ut experiri licet, morboso statu corporis deperire vim animae et vicissim. — Nec ergo vis creatrix hic aut ibi alia, nec alia actio, nec alius scopus; diremtae solum sunt hae facultates, ut ex illorum complemento nobilissimam protrudat natura mentalem, qua vitae dignitatem omnigenae metitur.

§. 3.

Quodsi itaque de vita somatico-psychica hominis sermo est, nihil aliud concipimus, quam centrum, quo vita somatica et psychica convergunt, statum quemdam internum, sensus et ideas hominis ex somatica et psychica amoeni vel inamoeni status sui proprii conscientia scaturientes, quam conscientiam „animum, Gemüth" nuncupamus, cujus statum diversae, quae ex instituta rerum ad mentem ipsam relatione oriuntur, repraesentationes et voluntatis determinationes constituunt. — Mentem, individuum suum, quod incolit, tuendi et intra corpora dirigendi, atque in rita relatione cum aliis corporibus conservandi nisum dicimus. — Perscrutata, quae mentem inter et animum reperitur, vicissitudine, sequentia fluunt memoratu digna. Mente cognoscimus, animo vero determinamus statum nostrum et vicissitudines cum rerum externarum natura. Mens claritatem idearum et veritatem consequi studet, animus amoenam vel inamoenam rerum externarum relationem in semet ipsum respicit et commoda nec non vitae statum perfectum adrogat. Mens est lux, animus calor vitae psychicae, humanum in homine; quae mens incassum concipere molitur, sensu et fide animus comprehendit atque ad excelsa tendens inferiorum nequaquam obliviscitur.

§. 4.

Quodsi mens res externas, ad semet ipsum relatas, bonas sibi cognoscit, grata afficitur perceptione, appetitu trahitur in illas, unde respondens huic voluntatis agentis et reagentis determinatio procedit. Sin malam sibi intelligit rem, ingrata affligitur sensatione et voluntas aversionem, quam inde capit, sua exprimit reactione.

§. 5.

Ita in harmonico vinculo cogitatur homo cum universo, hoc erit corporis cum anima relatio. Sed est corpus, cujus ope anima in rerum natura existit, cujus ope efficit, concentratur in quam peripheriam, cujus ope temporis et spatii sibi conscia fit, ope cujus divinas suas proprietates agere facit, ope cujus cum natura versatur in commercio, ope cujus vivit moriturque. Anima vero illa libera manet, et omnes homines simul quasi unam animam habent; quo facile pulchra intelligitur Religionis Christianae doctrina de commercio inter vivos et mortuos. Est haec communio, nam ens illius naturae est in vivis et futuris. Propterea in sinu populorum judicium, et quaerenda veritas; omnes ab aevo populi relationem erga ens altius conservare. In populorum consilio veritas, cum principalis eadem vis in genere humano toto existat. Unde et in sene a corporum natura vicissim recedente animi quies et consilium.

§. 6.

Hisce perlustratis expositio nonnisi juxta prolatam theoriam derivationis facultatum principalium

animae, haud ardue erit intelligenda. Cum autem ulterior expositio ad philosophiam spectet, hic abstinendum ab argumentis. Sequitur nonnisi ex empirica psychologia ulterior animae efficientiae disquisitio, qua brevi exponantur hominis facultates ab anima, quas repetit, hisce in conspectum editis. Sequantur altera parte observationes collectae circa influxus varios in illas facultates ex parte corporis, et quidem in statu primo sano, dein a tramite normali abludentis.

PARS PRIMA.

Expositio facultatum animae atque earum successiva evolutio.

§. 7.

Animam ergo nuncupamus, ex qua omnis fluit hominis vita. Supremae hominis facultates, quibus idem universae naturae creatas res longe superat, quae ab omni materiarum indole prorsus abhorrent, atque entis peculiaris sunt efficientiae, *Anima* audiunt.

§. 8.

Omnes autem facultates ipsa format; illas exponere, commerciumque psychicam potestatem inter et organicam perscrutari satago.

Conscientia ea potestas est, qua anima statum suum a causis externis vel internis mutatum distinguere valet.

Perceptio oritur, ubi psychica potestas sensationum et intuitionum quantitativas et qualitativas relationes ad conscientiam perductas in objectum unum jungit.

Imaginandi facultas, qua objectorum imagines resuscitatis sensationibus et intuitionibus sensu olim perceptis reproducuntur, vis imaginandi dicitur. Est reproductiva et productiva. Haec plurimum a corpore dependet, nam ubi conscientia nostra debite viget, imaginationes a perceptionibus rite distinguimus; si vero illa a justo statu deflectit, ut in somniis, deliriis et animi aegritudinibus (Gemüthskrankheiten), imaginationes cum perceptionibus confunduntur.

Memoria, ea animae facultas, qua vestigia olim perceptarum impressionum per sensus externos sive mentis operationes acceptarum resuscitari valent, est illud animae, quod circulatio sanguinis corpori, sunt imo animalia, quae sine illa nec vivere possent, uti apis.

Attentio arbitraria mentis restrictio ad certam perceptionem vel animae conceptionem.

Intellectus ea est mentis facultas, quae perceptiones disquirit, rerum singularium proprietates indagat, quae varietates in unitatem conjungit, conceptiones, notiones, judicia et conclusiones format, quae denique notiones claras et distinctas procreare nititur.

Intellectus altius tendens notiones captas ultra disquirit et nexum verum, possibilem aut necessarium subjecti cum praedicato eruere satagit, quo conclusiones adsertorias, problematicas et apodicticas sistit. Dicitur vero haec animae vis, quae haec promere adloborat, judicandi potestas. Pertinet huc ingenium, sagacitas.

Ratio constituit supremam animae facultatem, quae omnis in se complectitur animae dotes, quae rationes, conclusiones et judicia intellectu producta ad ideas supremas provehit, omnemque conceptum rerum hactenus illustrat, ut summa notionum principia tandem pateant. Est *practica*, quae principia sua a sensationibus et intuitionibus sensualibus desumit; *pura*, quae principia sua sibi gignit, aut potius ideas congenitas et latentes producit.

Denique *voluntas* ea est potestas, quae organici corporis qualitates mutare et certas actiones suscitare valet. Est psychica et corporea, vel altior et profundior.

§. 9.

Haud arduum est ex prolatis rite perpensis, animam quasi solam, integram cognoscere. — Anima vero, ut ita dicam, in vitam adplicata, animus est (Gemüth); vel est animus noster intra homines, objecta, et nos ipsos relationis speculum, ex quo anima individui sui statum agnoscit, illum ex quo vult aut valet (valeret autem semper) modificatur, vel ut poëtice dicam: „ihre himmlische Kraft mit den irdischen Angelegenheiten vermischt sieht.“ Dependet autem animus mere ab harmonia, in qua homo juxta suam organisationem aut animae vim manifestatam versari valet.

§. 10.

Illa ingenita facultas est animus, qua sensationes et perceptiones distinguimus, quatenus nobis proficuae aut nocivae videntur, voluptatem aut dolorem suscitant, et quatenus illam conservationis nisu appetimus, hunc vero fugimus. Utplurimum a corpore dependet, a cerebelli corticalis substantiae conformatione, a nervorum irritabilitate, bilis influxu etc. Homo solus, sanus in natura vix animi aliquam conditionem offerret, sed esset ea, qua coenaesthesi ex corporis parte percipitur amoena, contenta conditio. Sed cum incitamentorum receptivitas per universum organicarum functionum concentum servetur, singula etiam reproductiva munera, gangliosi systematis imprimis conditio, animi statum mutant. Inde igitur est, quod omne fere individuum aliam atque aliam praeseferat animi constitutionem, quae sub variis conditionibus varia sit et diversam exhibeat in adfectus et pathemata proclivitatem, quodque status corporeae valetudinis tantum influxum in animum nostrum exerat.

§. 11.

Animo ergo determinamus statum nostrum et vicissitudines cum rerum externarum natura; animus amoenam vel inamoenam rerum externarum relationem in semet ipsum respicit et commoda nec non vitae statum perfectum adrogat; animus est calor vitae psychicae, humanum in homine et quae mens incassum concipere molitur, sensu et fide animus comprehendit atque ad excelsa tendens inferiorum nequaquam obliviscitur. Animo solummodo homo existit liber, felix aut infelix, tranquillus anxiusve, sanus aut morbidus, probus aut sceleratus. —

§. 12.

Fortior animi a sensatione grata aut ingrata affectio „animi adfectus“ vocatur. Scaturiunt temporis relatione, e praesentia: admiratio, solatium, gaudium, exsultatio, terror, horror, ira; e tempore perfecto: (reminiscentia) hilaritas, laetitia, jucunditas, vel tristitia, moestitia, solitudinis amor; e futuris: spes, metus, angor, pavor, desperatio; quorum descriptio ad psychologiam spectat, nec vero huc, ubi in scopum Anthropologiae dilucidandae solummodo divisio venit, ut in altera parte, ubi parallelismus animam et corpus inter lineis adumbretur, expressiones rite intelligantur. Alii adfectuum ordines per relationem objectorum, quibus suscitantur, constituuntur suntque respectu hoc subjectivi et objectivi. Subjectivi sunt, e praesenti: superbia, ambitio, gloriae cupido, vanitas, fastus, pudor, verecundia, depressio; e praeteritis: conscientia recte factorum, animi tranquillitas, poenitentia; e futuris: voluntas animosa, fortitudo, animus impavidus, impudentia, timiditas, parvilitas et animi

abjectio. Objectivi sunt, quae per certas aliorum objectorum relationes ad nos provocantur, quorum grati: propensio liberalis, aestimatio, veneratio, amicitia; ingrati: zelotypia, animi crudelitas, indignatio, aversio, contemtus, odium, abominatio.

§. 13.

„Animi pathema" fortiorem involvit voluntatis reactionem in vividiorem boni aut mali cujusdam perceptionem, quod aut adipisci aut amovere aminus summo adnititur conamine, quippe amor — passionis major gradus — animam continuo sibi subjicit, uti: lascivia, vindicta, avaritia. — Animi ergo pathemata ab affectibus in eo differunt, quod in his sensatio, in illis autem voluntatis nisus praevaleat; omne caeteroquin animi pathema affectum insimul aut unum supponit, aut plures. In temperantiae sphaeram restricta non adeo nocent, imo vitae influxui nimis placido et retardato stimulum hinc inde addunt salubrem et novum impulsum. Vis noxia tunc modo illis convenit, quando violentia aut perseverantia limites transgrediuntur. Omnium animi pathematum effectus in eo consentiunt, quod sensus internos et organa voluntaria plus aequo et absque quietis concessione exagitent; unde et organis muscularibus involuntariis incitationis excessus communicetur.

§ 14.

Processu vitali altiori homo efflorescit. Analogus est hujus procreationis processus et in profundo sinu uteri formatio sono cuidam, qui forti vibratione subtilissimam chordam ad eum sonum invitat: invitatur vibratione analogo organismus matris ad plasticitatem juxta typum. Vi agente vitali analogum formatur individuum, et anima, ejusdem supra definitae vis effluxus eodem procreatio-

nis momento illuc dirigitur atque suam efficientiam manifestare in hoc novo individuo incipit. Ast latet ejus efficientia, dumusque corpus, instrumentum vitam manifestandi, sit perfectum. Nunc systema nervosum, activitate vitali subtilissima concentrata materia, typiger (sit venia verbo: der Träger des Typus), comparet imo jam paucis diebus, et fit exstructor organismi. Perficitur organismus juxta leges universalis ordinis (naturae), an crystallisationis processu? hypothesibus decipi malo; sed debet ratio una cum norma sua habere congruam repraesentationem.

§. 15.

Varios enim edit effectus jam in sinu materno vita varia matris in futuram relationem individui cum vita terrestri et sua spirituali. Systema nervosum jam nunc determinatur vibrationibus et oscillationibus organismi materni adfectibus, passionibus, animae intentionibus detenti — analogis ad analogum typum; ad imaginem, quam edit divus Hartmannus, flautae, quae sonis falsis impraegnata pro longo tempore vibrationes haud debitas edit.

§. 16.

Systema nervosum est instrumentum illud polychordon, quo anima suam intelligentiam facit vibrare, quo e natura rerum perveniunt ad animam soni. Habetur ex eo aliquomodo idea, quomodo matris intelligentia, pathemata, passiones, consuetudines in foetum agent, processu vitali matris quasi in hunc ibi denuo excitato — exsonante. Medicus jam plurimum in hac hominis futuri periodo potest influere exhortando matrem ad vitam naturae se utplurimum concredentem, cum et natura sit speculum, ex quo imagines et ideae

semper purissimae in animam prosiliunt. In natura anima se et suas vires aliquomodo repraesentatas conspicit. Qualis sexus patrem, qualis matrem imitetur, esset ex observationibus systematice institutis eruendum.

§. 17.

Ea organisatione tener homo praeditus, ut vitam extra matrem continuare posset, in lucem universi prodit. Vix aliquid manifestat neonatus, quam instinctum. Anima autem jam illa inest, quae erit per omnem vitae cyclum; ast riget sine efficientia dumusque corpus fiat conversationis cum rerum natura compos. — Alitur corpus optime lacte humano, nec vero lex matri sine exceptione statuenda, sit sana lactem praebens et bona sive mater sive nutrix. Fertur et in lacte mirum in modum etiam indoles materna. Corpore laete in incrementum florente anima mox ab internis in externa, quae illam circumdant, agere coepit. Nunc observatur prima attentio in objecta externa imprimis colore aut sonis aut figura jucunda placentia. Attentio ergo est prima facultas, quam anima edit, analogos sensus, quibus animam externorum nonnisi imagines intrant. Quantum nunc lucis perversae in oculum agentis influat, per totam vitam oculo aliquem typum singularem inprimens, et per hoc organon, focum animae (diesen Brennspiegel der Seele) animae ipsius intuitionibus, quis ignorabit?

§. 18.

Evolutio corporis in dies magis magisve progreditur, fit possibilis locomotivitas, exercitio et viribus deficientibus vero parvuli vacillant, cadunt, jamque adficitur animus, etsi nullos persentiant dolores, clamant et mirum in modum jam observatur percipiendi et distinguendi facultas; raro et sibi soli relicti magnum ex-

periuntur damnum, partim magnae elasticitatis atque mollitiei causa, partim jam ab aliqua interna periculosa et proficua distinctione (dicunt vetulae: der Schutzgeist der Kinder). Eas rudes materiarum distinctiones gignit anima ex profundis radii primi, quem sol ante auroram ipse adhuc latens emittit, adinstar proprietatis, quippe ordinis in natura existentis. Mox retinentur in vita ejusmodi distinctiones, et exoritur, vel potius in vita individui comparet ea, quam nuncupamus memoriam, (die Kinder merken sich). Memoria est facultas intuitionem perceptam revocandi, videmus tales intuitiones et sine voluntate redire, imprimis, dum impressio fuit vivida. In infantia, juventute impressiones leves, quaedam consuetae mox evanescunt, graves vero sera aetate adhuc praesto sunt. Radicatur ergo jam in tenera hac aetate memoria, prosilit cum vita ipsa ille rivus, qui per omnem fluit vitam, atque omnia, quae fiunt, in se abripit in lacum denique effusus, e quo ingenium haurit suas vitae nunquam redientis partes. Videmus memoriam cerebro molliori inhaerere, videmus illam tranquillitati animi esse amicam; et in infantia nonnisi volatiles sunt animae turbae; systema nervosum nec variis impressionibus, neque validis turbatur.

§. 19.

Evolvitur nunc loquendi facultas. Lingua revera est instrumentum divinum homini impertitum, ut idearum in anima evolutarum sit via in vitam. Sed initio solummodo aliquod exercitium mechanicum organorum linguae observatur. Aetate paulo provectiore jam exoritur nisus, internam activitatem, voluntatis directionem exprimendi. Soli nunc huic nisui lusuique cum rebus libenter denominatis anima incumbit. Quod est lingua in corpore, memoria animae est. Nisus autem animae objecta cognoscendi atque denominandi est tantus, ut

imo facile plures addiscant homunculi linguas. Verba (Zeitwörter) et denominationes abstractas nunc non addiscunt, quia perceptiones nondum distinguere valent. Memoria gravis momenti in hominis historia. Datur vero nulla memoria mere idealis, sed semper debet aliquod objectum illi subesse. Vix aliquis recordatur, quid ante biduum hora una alterave cogitaverit. Lingua cardinale memoriae adminiculum. Loquela tarda, pigra, pituitoso statu notati vix memoria bona gaudent. Videtur esse in interno polychordon sonorum resonantia (der Nachhall). Imo vix in qua re tanta, quam in musica potest observari memoria, sunt enim hominum exempla, qui semel audiunt et semper retinent compositionem aliquam musicalem. — Lingua perfecta pueri ingenium et experientia et studiis in dies magis magisve evolvitur. Floret nunc phantasia, sequitur judicium, et ubi licet, non meris laboribus corporis esse adstrictum, rationis sidus mox vitam illuminat splendenti sua luce, quae est animae nunc in dies liberioris effluxus.

PARS II.

Observationes collectae circa influxus ex parte corporis.

§. 20.

Animam igitur ut vim primariam nuncupavimus, ex qua omnes secundariae vires originem suam ducunt, quum externis organis vim et actionem suam manifestat, eoque ad psychicum organismum formandum maximopere contribuit.

§. 21.

Expositis facultatibus animae earumque successiva evolutione influxus ex parte corporis in animae efficientiam prosequi satago. Hicce influxus a structura anatomica, aetate, generis differentia, somno et vigilia, climate, morbis quibusdam, vitae modo, et denique quibusdam remediis artificialibus determinatur; possuntque dividi circa hanc rem parcae observationes in eas, quae statu sano, et illas, quae statu morboso sunt colligendae; hinc ad influxuum adumbrationem in statu sano progredior.

Statu sano.

§. 22.

Sub hygiene (bona valetudine) in genere intelligitur normalis et inturbata manifestatio omnium ad vitam organici entis pertinentium functionum; sanus itaque

est homo ille, in quo omnes hae functiones inturbatis corpori inservientibus organis integra vi in intima inter se harmonia procedunt.

§. 23.

Anima sine dubio in medulla spinali suam concentrat efficientiam. Situm est hoc eximie nobile organon in cavitate vertebrali. Excurrit fine suo superiore in medullam prolongatam, et ex hac, quomodo flos ex caule, cerebrum expanditur. Calicis corollae ad modum cerebrum et cerebellum supra medullam prolongatam, et in illorum medio sub forma antherarum et pistillorum in suis velamentis nervi excrescunt e medulla prolongata. Si a funiculis in omnem fabricam cerebri excurrere acuto oculo licuerit, et comparativa anatomia structuram in omnibus animalium generibus et structurae ad facultates relationem docuerit, cerebrum non amplius comparebit globus medullaris, sed potius qua microcosmus (eine Welt voll Bahnen, an denen die Urkraft der Seele ins Leben hinauskreis't). Videtur vero, ut termino utar, residere anima in regione medullae prolongatae, pontis Varolii et crurum medullarium. Partes remotiores enim morbosae aut laesae observabantur, quin vitae vel menti damnum sit exortum. Ex quibus videre licet, medullam spinalem admittere laesiones; cerebri magni lobi, thalami optici, conarium, ipsum cerebellum fuere morbose adfecta, quin pessumdata fuisset animae efficientia.

§. 24.

Aetas homini ut plurimum concessa in quinque discedit periodos. Aetas infantilis a partu ad annum tertium. Nulla adhuc consuetudo, animus jam turbas patitur. Aetas puerilis ad evolutionem nisus sexualis du-

rat. Est tempus memoriae et agilitatis. Hoc tempore memoria potest excoli, nervi sunt molliores, sed et exercitio, vociferatione increscit. In hac aetate vis voluntatis, intentionis, distinctionis et judicii debet obtineri.

§. 25.

Aetas juvenilis, tempus a pubertate ad incrementum perfectum, periodus phantasiae, sagacitatis et inspirationis. Scopus vitae inchoat hac sectione. Onania, voluptas praematura, herba nicotiana, superfluus potus vim juventutis floridae decurtant, fit imbecillis memoria, erethismus levissime excitandus impedit strenuam meditationem; lectio librorum phantasiam perversis explet ideis, et figunt radicem indigestio, hypochondriasis, melancholia, haemorrhoides.

§. 26.

Aetas virilis, tempus vis plenae corporis atque animae. Curae et ambitiones animam continuo commovent, unde judicium fit promptum, ast phantasia pallescit. Serenitas mentis matrimonio infausto, nunquam ut redeat, recedit. Consuetudo, passio et character hac aetate confirmantur. Senium, tempus ubi vires evanescunt, tempus tranquillitatis, atque senex quamquam adesse consueverit, tamen de vanitate omnium in terra est convictus. Accedunt paralyses, rigiditas, atonia, memoriae imbecillitas, phantasia paupera.

§. 27.

Sexum hominum respicientes, sexum sequiorem plerumque valde sensibilem, psychice mobilem et praedominante animo ad turbationes psychicas proniorem

sexu virili reperimus. Amor, amor maternus, misericordia, benevolentia, timiditas et pudor potentissimi sunt factores, qui totam vitam psychicam mulieris penetrant. Systema nervosum in femina irritabilior, debilior. Vir vi, femina patientia excellit; raro inventionibus student, sed eo aptiores sunt disponendis rebus domesticis. Non parvi momenti in puellis est periodus evolutionis, ubi in earum organismo nova functio provocatur, quae istas de vera sua definitione monet. Tempus conceptionis in muliere, evolutio germinis in ea vitam nacti, partus et lactatio vel ejus neglectio, finis functionis sexualis sunt momenta, quae comprobatum influxum exerunt in psychicam mulieris vitam; et turbactiones horum functionum saepe causant stupiditatem, melancholiam, amentiam et maniam, quae animi pathemata matrem ad prolicidium seducere possunt. Peculiaris animae indoles observatur in chloroticis, quae phantasiae incumbunt ludibriis et judicio vacillant.

§. 28.

Provincia systematis nervorum altior, quippe cerebralis interdiu praevalenter viget, ingruente vero nocte cessanteque luce, atria, per quae mundus externus ad animam pervenit, clauduntur, mentisque functiones recedunt, vitae humanae fax, intellectus et ratio velatur, et sphaera inferior gangliaris eatenus princeps redditur, quatenus per cerebralem minus determinatnr et obscuratur. Phoebo iterum lucente mentis functiones una cum luce enitescunt, memoria est acrior, intellectus et ratio acutior, subtilior et saepius menti cum die illucessit, quod praecedens vesper umbris illi velavit, animus hilarior, promptior ad officia peragenda, hinc ipse coecus natus inscius, quid lux sit, laetior evigilat, voluntas firmior, spontaneitas validior, ratio haud phantasiae ludibriis confunditur.

§. 29.

Magni momenti conditio aëris atmosphaerici, ex parte a climatis constitutione dependens, contemplanda venit. Intimus est organismi viventis cum aëre atmosphaerico nexus, nec mera metaphora est, si dicas, ex aëre vitam in organismum transire.

§. 30.

Aër, qui sidus nostrum ambit, atmosphaericus, genitus et enixus siderum conflictu, summus vitae animalis gubernator, omnium processuum vehiculum, etiam vitae humanae genitor et fotor est; ejus vis sanguinem maternum in placentam urget, ut foetus laticem recreet circulantem: enixo vero partu pabulum subministrat vitae hominis usque ad interitum. Quod vehiculum naturae adparitionibus normalibus vitae organicae compar est, nec dispar est abnormibus. Succumbit ergo morbis et atmosphaera, in miseros mortales suas refundens passiones. Magna et multifaria sunt naturae prodigia; ejus enim fastissimum sinum vicissitudines siderum ingente vi continuo verberant; fluentibusque et refluentibus in interrupto torrente viribus cosmico-terrestribus jam praedensam aut raram, orbam aut praedivitem cernimus atmosphaeram ab electricitate, humidam aut siccam, calidam aut frigidam, effluviis et miasmatibus contaminatam, quisquiliis squalidam, procellosam ventis et turbinibus exagitatam. Quare non mirandum, aëris atmosphaerici potestatem esse immensam, morbos in genere excitandi, hinc etiam animi morbos.

§. 31.

Influxum climatis considerans, illum potius ad caloris et frigoris effectum reduco. Calor systemati nervoso

amicus, et nisi excedat, omnes facultates animae simul levare valet, in frigore vero quaedam ignavia observatur.

§. 32.

Rationem influxus temperamentorum in psychen inquirentes, sequentia nobis sese offerrunt momenta Temperamentum, quod nobis mutua ratio est receptivitatem inter et spontaneitatem, cujus ope homo par redditur, impressiones ab externis rebus eum ferientes, corpus spectent an animam, majori minorique alacritate et vi recipere, iisque receptis virium insitarum ope, majori minorique energia reagere. Generatum a generante non solum vitam, sed omnem etiam vitae modum, totius igitur formationis ulterioris typum et omnis efficientiae rationem repetere, observare fas est in temperamento sanguinico respectu notarum somaticarum. Tales homines consuetim plethorici, alacrem propterea et velocem ostendunt pulsum, et calorem animalem excedentem. Forma corporis amoena, corpus ipsum modice nutritum, cutis calens et humectata, visus vivax et celer, motus voluntarii agilitatem ostendunt et dexteritatem.

Notae psychicae sunt: Defectus attentionis, quum omni momento aliis aliisque captetur objectis, phantasia vivax, ingenium cum dexteritate, propterea suavitas, gratia et societatis amor, capacitas, sed memoria infida, in laboribus fugacitas, levitas et defectus durationis, amor sui, nulla sui notio, major pulchri, quam verarum et bonarum rerum amor; facilis transitus in admirationem, amorem, iram, quin hi affectus longe perseverent, inconstantia et amor diversitatis, levitas, negligentia, vix interrupta hilaritas, defectus voluntatis fortis, haesitatio propter nimiam vivacitatem persentiendo commoda cujusvis agendi rationis, benignitas ex humanitate, sed defectus moralitatis in principia fundatae.

§. 33.

Temperamentum cholericum palam se facit corpore musculoso, sed pinguedine destituto, cujus formae propterea magis angulares adparent, oculi sunt fervidi, splendentes, visus permeans et imperans, cutis calida sicca, pulsus fortis et celer, incessus, gestus et mora vi plenus et dignitatem exprimens. Notae psychicae sunt: Facultates mentales majorem valent perferre intentionem, quam in sanguinico; vis major attentionem figendi, cogitandi vis celer et secura, ingenium ad sagacitatem elatum; phantasia vigens et audax, affectus et libidines impetuosi. Hoc autem temperamentum libidinum oppugnatione destitutum existit, propterea effervescit cholericus et impar est cogitationum repugnationem perferre. Praeterea amor pompae, gloriae et dominationis cupiditas huic temperamento conveniunt.

§. 34.

Temperamenti melancholici notae somaticae. Cutis sicca friget, pulsus tardus sed fortis, omnis motus securus et scopo conveniens. Notae psychicae: Melancholicus negligit objecta nullius momenta, difficile amore, ira, admiratione, enthusiasmo abripitur, ubi autem hisce succubuit affectibus, etiam validi et permanentes sunt. Phantasia communiter quiescit, si autem nobilioribus excitatur objectis, ardens est et vi plena. Voluntatis imperium, constantia, fastus in proprium pretium, amor internae gloriae sunt hujus temperamenti dotes.

§. 35.

Notae somaticae temperamenti phlegmatici: Forma corporis rotundata, sed absque expressione singulari,

oritur facile inflatio, polysarcia et polyblennia, cutis pallida, turgore exuta, humida friget; — musculi sunt laxi, oculi languidi, pulsus tardus et debilis, motus corporis segnis, sub labore, majore virium defatigatione, largus erumpit sudor, somnus profundus longum perdurat per tempus. Notae psychicae: Tarditas cogitandi, oblivio, phantasiae defectus, ita et sensus pulchritudinis deest, absentia enthusiasmi, cujuscúnque sit generis. Inimicus est phlegmaticus institutionibus novis et inconsuetis, amat quietem et adpetit illa, quorum assecutio intentione virium non nectitur; laboris taedium, stupor, morositas, metus et haesitatio ex voluntatis defectu, avaritia et absentia omnium affectuum, characteristice sunt huic temperamento.

Statu morboso.

§. 36.

Sanitatem in aequa corrivatione functionum et concorde illarum dispositione consistere contendimus; morbus hinc harmoniam et functionum corrivationem sub sanitate vigentem dirutam esse ostendit, quae disharmonia functionum secundum diversam rationem amborum vitae factorum alia erit aliaque.

§. 37.

Si jam corporis vicissitudines statu sano, uti demonstratum est, graviter influunt in animae facultates, momentosior adhuc est earum influxus statu morboso corporis. Corpus enim est organon, quo animus agit functionesque suas explicat; unde venit, ut hujus internae vires vario atque multiplici modo se manifestent, et pro illius diversitate etiam multas gradationes habeant.

§. 38.

Multae ergo turbationes animae facultatum etiam causam suam in abnormitatibus somaticis agnoscunt. Experientia quoque docet, ab omnibus somaticis morborum formis, quippe morbis cerebri, epilepsia, hypochondria et hysteria, variis cordis et sanguinis morbis turbationibusque in ejus circulatione, abnormitatibus in systemate respirationis, variis morbis organorum digestioni dicatorum ceterorumque viscerum abdominalium, haemorrhoidibus, turbis in systemate sexuali, turbatis menstruis, functione cutis laesa, morbis cutis varii generis, ut lepra, scabie, lichenibus, pellagra, variolis, plica polonica, arthritide, febri, ulceribus inveteratis, passiones animae produci posse. Ceterum vero edocemur in luculentissimis abnormitatibus variorum viscerum humani corporis, in diversissimis morborum symptomatibus nullum vestigium morborum psychicorum animadverti posse. — Non solum antagonismus sensuum morbosa constitutione vicarius, uti inter auditum et visum, gustum et olfactum, visum et tactum, sed in omnis characteris atque indolis rationem observatur, mere a sensuum aut defectis aut morbosa adfectione vel configuratione productus. Miopes clara et fideli ut plurimum gaudent memoria, animi tranquilli sunt, omnia prius, quae in judicium trahunt, pupilla coarctata aut vitris perscrutantur, incedunt meditationibus gravibus pleni et constanter laboribus incumbunt. — Presbyopes sunt vagi, temporis atque locorum impatientes, cursitantes, praecoces, ast applicabiles. Coeci ab universi intuitione exclusi dolore fatum minime ferunt, sed melancholici sunt. Eum ad modum, quo omnes illis nocte obvelantur colores, et animus premitur caligine, tamen gaudent laeta phantasia, phrasibus, musica, arguuntque cito mendacium. Societas sola coecorum esset in-

felix. Tamen auris plus benevolentiae hominis cum homine adfert, est medium conversationis spiritualis et sine auditu adest parum rationis et humanitatis.

§. 39.

Lingua vero tam ad conversandum, quam ad cogitandum necessaria, ubi deficit, tristes producit in animam effectus. Quantum hoc medium cum homine altero communicandi ideas sit, videtur iu populis lingua paupera praeditis. Lingua est vectes omnis conversationis, et omnis natura homini non praestat, quod praestat rationis citius effluxus. Infans et homo sylvanus eodem existunt culturae gradu; et sane potest adseri: „Wie die Sprache, so das Volk.“

§. 40.

Complures adhuc morborum mirum in modum animae efficientiam alterare valent. In cachexiis quibusdam animus est tristis, phantasia moeret, vita intellectualis in organismo pastoso et in septemtrione riget. — Status pituitosus, linguae, judicii, sagacitatis, memoriae vinculum. Homines cerevisiae et fumo indulgentes loqui abhorrent, rauci utplurimum, obscure omnia sibi repraesentant, atque lingua sonis edita, idearum imago nunquam prompta est. — Videmus e contra in phthisicis ingenii mirum acumen, memoriae amplitudinem, atque spei fidelitatem. „Während das wirkliche Leben hinabsinkt, leuchtet ihnen wie ein Nordlicht die Hoffnung, und es scheint, als ob die Aufzehrung des körperlichen Lebensorgans, die gleichförmig ohne Bewusstsein geschieht, den Geist auf eine freiere Stufe erhebe.“

§. 41.

Influere in vitam mentalem temperamenta, jam docuimus. Huncce influxum tam gravem esse intelligito, ut saepe tranquilla hominum sors ab eo pendeat, quod intelliges, respiciens, moralitatis leges cum vitae voluptatibus et amoenitatibus conflictum saepe inire, quem si superando pares sumus, tranquillus et hilaris est animus, si non, intranquillus, incontentus cum illis, quae vita largitur, et si haec lucta longius per tempus durat, dirae melancholiae saepenumero occasionem largitur. Qui temperamento gaudet mortalis, quo illi facile evadit vitare immoralitatis illecebra, tranquilliorem, minus turbatam gerit vitam, — quam alius, hoc naturae dono destitutus, continuo luctatur, et saepe animus huic succumbens luctui, aut maniae obnubilatur tenebris, aut homo sibi inferens manum, desperans se incolumem evasurum, hunc luctum cum vita finit.

§. 42.

Vitae modus solum ea ratione ad hoc forum spectat, quatenus corpus peculiariter immutat. Pertinet huc nebulonum consuetus mos somnambulandi, ubi memoria atque intentio animi hebescunt; pertinentque huc: solitudo, quae phantasiam exaltat; itinera vero memoriam dissipant, sed mentem exornant. — Huc item referuntur quaedam ingesta vel odoramenta, quae animam suis facultatibus immunem atque liberam vel excitant, vel deprimunt. Dicuntur illa excitantia, haec stupefacientia.

§. 43.

Summus, ultimus et certissimus in animae efficientiam ex parte corporis influxus, mors est. Orga-

nismo, dum pro ulteriore conservatione non amplius idoneus est, egreditur anima, patent omnia atria, quibus paulo ante suam manifestabat praesentiam. Natura in suum sinum recipit materiam. Ens vero semper activum, liberum atque idem novum vadit excurrere cyclum, an hujus, quem deserat, sibi conscium? an in immensum suum principium, quemadmodum gutta in oceanum, ab omni relativa conscientia purificatum? — Anima silet et universum silet, ast in profundis arguit anima.

Theses defendendae.

I.

Bona educatio inter optima praecavendorum morborum remedia est referenda.

II.

Claret medicus in praxi, qui psychicam studuit hominis naturam.

III.

Non dantur signa conceptus facti.

IV.

Corpus hominis non est symbolum corporis omnium animalium coacervati.

V.

Systema nervorum summum motorem vitae organicae sistere nego.

VI.

Alius est effectus aquarum soteriarum, si ad fontem hauriuntur, quam si lagenis reclusae, procul a fonte, aegris porriguntur.

VII.

Dantur morbi saburrales, qui usu purgantium augentur.

VIII.

Actio pharmacorum est unica quippe organica.

IX.

Crescente cultura crescit numerus morborum.

X.

Oculus certius statum virium resplendet ac pulsus.

XI.

Debilitas et phlogosis simul existere possunt.

XII.

In ampla naturae fabrica absoluta mors nullibi.

XIII.

Plurimae juventutis labes ex educatione perversa ducendae.

XIV.

Religio tamen per orbem terrarum tantopere dispar, diversam ubique impertit mortalibus consuetudinem, non raro inique interpretata in opprobrium sanitatis cedentem.

XV.

Sensuum nullum divortium nullusque principatus.

